



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CXC. Declaratio, quod Ordinariis locorum in Indiis non liceat visitare
Confraternitates erectas, & erigendas in Ecclesiis Fratrum Ordinis Beatæ
Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupat. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

Causæ faciendæ unionis, & respectivæ separationis.

nimus, sicut Nos locorum, personarum, rerum, & temporum qualitatibus mature pensatis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Superiores, & Religiosi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum Provincia Lombardiæ, & custodiæ Mantuanæ, quod cum de consensu etiam ac approbatione charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Catholici, nec non Romanorum Regis in Imperatorem electi inter se convenirent, ut in unam, eandemque Provinciam Lombardiæ uniantur, atque secundodicti Superiores, & Religiosi Custodiæ Mantuanæ, declararent dilectis pariter filiis Ministro generali, & Definitoribus generalibus præfati Ordinis tum memoratam custodiæ Mantuanæ, propter penuriam, & defectum præsertim Sacrificii, unde Religiosis commodum vestium provenit, aliter non posse subsistere, tum maxime regularem observantiam in suis respective Conventibus per eam contiguæ Provincie unionem magisque adjuvante Deo firmatum iri. Quam quidem unionem cum accessione Conventus Castellionis Stiverorum a Provincia Brixiz, quemadmodum ipse Carolus Rex in Imperatorem electus exoptat, separandi, & dismembrandi, & aliorum quinque Conventuum, videlicet Mantuæ, Terræ Hostiliæ, Goiti, Aquenigræ, & Sermini vici, idem Minister generalis, & generales Definitores utpote laudabilem, & regulari observantia in primis conducibilem necessariam approbarunt.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subijungebat, dicti Exponentes unionem hujusmodi per Nos stabiliri, sibi que propterea in præmissis opportune provideri, & ut infra indulgeri plurimum desiderent. Nos igitur piis utrorumque Superiorum, ac Religiosorum votis ad Religionis incrementum, & felicem progressum tendentibus quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eosque, & illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdici, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supradictam Provinciam Lombardiæ cum custodia Mantuanæ, perpetuo unimus, conjungimus, adnectimus, & incorporamus, nec non Conventum Castellionis Stiverorum, quem a Provincia Brixiz separamus, & dismembramus cum quinque aliis memoratis Conventibus scilicet Mantuæ, Terræ Hostiliæ, Goiti, Aquenigræ, & Sermini vici eidem Provincie Lombardiæ perpetuo etiam unimus, conjungimus, adnectimus, & incorporamus.

§. 3. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter observari, & illis respective in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinariorum, & Delegatos, etiam Casarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, Provinciarum ac Conventuum præ-

dictorum aliisque quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Jan. 1737. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 21. Januarii 1737. An. VII.

Indulgentia plenaria a SS. D. N. Clemente PP. XII. benigne concessa Missionariis Capuccinis Gallis in partibus Infidelium existentibus tum die, quo ad ipsa loca Missionum pervenerint, tum in articulo mortis.

CLXXXIX.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Cælestium munerum thesauros libenter impertimur iis, quos salutem Animarum, & Gentilium conversionem procurare intelligimus.

Proccemium.

§. 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves Frater expresse professus Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum in Romana Curia Missionum Orientalium, & Occidentalium, ac Missionariorum Gallorum ejusdem Ordinis Procurator nobis nuper exponi fecit, & diversis Regni Galliz Provinciis Ordinis hujusmodi plures Religiosi Viri in Gentium conversione maxime laborent, & Sancti Spiritus gratia multum proficiant.

Procuratoris preces.

§. 2. Nos ejusmodi pia studia intimo cordis affectu plurimum complectentes, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, universis dicti Ordinis Religiosis earundem Provinciarum Galliz, qui pro Christi amore, & obedientia merito conversioni Gentilium in præfatis Orientalium, & Occidentalium partibus procurandæ se accinxerint, die quo ad ipsa loca Missionum pervenerint, si confessione prævia sacram Communionem sumpserint, necnon in articulo si contriti, ac confessi, ac cum proposito consistendi in itinere, seu in ipsa conversione decesserint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Indulgentiæ, de quibus in Rubrica.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Januarii 1737. Pont. nostri Anno VII.

Dat. die 28. Januarii 1737. An. VII.

F. Card. Oliverius.

Declaratio, quod Ordinariis locorum in Indiis non liceat visitare Confraternitates erectas, & erigendas in Ecclesiis Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupat. Congregationis Hispaniæ, nec eorundem Orotoria ruralia.

CXC.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Superiores Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniæ, quod ipsi in

Privilegium Ordinis Carmelitarum Excalceatorum erigen-

vim

Approbatum à Pontifice.

Sicque in perpetuum præcipit observari.

Derogat obstantibus.

ANNO 1737. di extra Urbem Confraternitates.

Cujusmodi sint dictae Confraternitates.

Episcopus Mechoacan. in Indiis, non solum supradictas Confraternitates in eorumdem Exponentium Ecclesiis erectas, nec non etiam quoddam Oratorium rurale cujusdam praedii per dictos Exponentes possessi, in quo Religiosi memoratae Congregationis Missam pro spirituali colonorum ibidem commorantium consolatione celebrare consueverunt, visitare tentaverit; Nobis propterea iidem Exponentes, ne quid simile in posterum per alios locorum Ordinarios attentari contingat, opportune in praemissis, a nobis provideri, & ut infra indulgeri summopere desiderent.

Declarat Pontifex hujusmodi Confraternitatum & Oratoriorum Ruralium d. Ordinis Visitacionem ad Ordinarios non spectare.

Sicque ubilibet servari praecipit, & judicari.

Obstantibus derogat.

Dat. die 31. Januar. 1737. An. VII.

vim privilegiorum eis a fe. re. Clemente Papa XI. Praedecessore nostro die 24. Novembris 1703. concessorum, & novissime a nobis die 27. Julii 1735. respective confirmatorum ubique Terrarum extra hanc Almam Urbem nostram private Confraternitates virorum & mulierum sub titulo ejusdem Beatae Mariae de Monte Carmelo erigere, & fundare possunt.

§. 2. Quae quidem Confraternitates nec usum sacrorum, neque proprium Oratorium sive intra, sive extra claustra, neque redditus, & consuetudinem, aut onus recitandi Divinum Officium, aliasque preces habent, ullaque functiones Ecclesiasticas peragunt, sed tantummodo processionibus, quae ab iisdem Exponentibus in quolibet mense fieri solent ad effectum lucrandi Indulgentias eidem Confraternitatibus a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris concessis inter sunt.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Venerabilis Frater modernus Episcopus Mechoacan. in Indiis, non solum supradictas Confraternitates in eorumdem Exponentium Ecclesiis erectas, nec non etiam quoddam Oratorium rurale cujusdam praedii per dictos Exponentes possessi, in quo Religiosi memoratae Congregationis Missam pro spirituali colonorum ibidem commorantium consolatione celebrare consueverunt, visitare tentaverit; Nobis propterea iidem Exponentes, ne quid simile in posterum per alios locorum Ordinarios attentari contingat, opportune in praemissis, a nobis provideri, & ut infra indulgeri summopere desiderent.

§. 4. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore cunctas, supplicationibus inclinati, audito super praemissis Ven. Fratre nostro Francisco S. R. E. Card. Barberino nuncupato sacri Cardinalium Collegii Decano Episcopo Ostien. & Veliterren., ac Congregationis ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum Praefecto, si preces veritati nitantur, supradictas Confraternitates tam in Ecclesiis eorumdem Exponentium erectas, & erigendas, quam illorum Oratoria ruralia ab Ordinariis locorum non esse visitanda, sed a Superioribus praedictae Congregationis Hispaniae auctoritate Apostolica, tenore praesentium declaramus, ac decernimus.

§. 5. Decernentes pariter easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 31. Januarii 1737. Pont. nostri Anno VII.

Alternativis factis pro nationibus, quibus constatur Provincia Germanica Ordinis Servorum B. M. V. jam approbata a Vicario Generali Ordinis ejusdem robor confirmationis Apostolicae adjicitur.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis officii nostri divinitus commissi sollicitudo nos admonet, ut paternam Religiosorum virorum, qui se se sub suavi arduioris vitae jugo deoverunt, curam gerentes, ea quae tollendis animorum dissidiis, stabilis etiam inter eos fraterna concordia provide constituta esse noscuntur, quo firma semper atque inviolata persistant, Apostolica muniminis nostri praesidio roboremus.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Symphorianus Maria Holzer Frater expresse professus Ordinis Servorum B. M. V. per Germaniam Vicarius Generalis ceterique Religiosi nationis Austriacae, quod cum eorum Provincia ex duabus praecipue Nationibus Tyrolensi videlicet cum proxime adjacentibus ex una, Austriaca vero, & Hungarica ex altera parte compacta reperitur, verum propter varium nationum ingenium, ingentem Conventuum ad invicem distantiam, aliasque plurimas causas tam spiritualis, quam temporalis oeconomia, necnon fraterna charitas, & disciplina regularis, ac Justitia denique distributiva sancte servari vix possit, nisi cum praedictis nationibus aequalitas in omnibus, & justa alternativa firmiter stabiliantur, consentientibus ejusdem Provinciae Religiosis, quaedam hujusmodi alternativae Capitula hinc inde subscripta fuerunt, quae deinde cum approbatione imperialis Decreti munita, & a dilecto filio Josepho Maria de Inghiramis Curti Viglevanensis in Sacra Theologia Magistro, ac dicti Ordinis Servorum B. M. V. Vicario generali Apostolico approbata, & quatenus opus est, confirmata fuerunt tenoris, qui sequitur, videlicet:

§. 2. Frater Joseph Maria de Inghiramis Curti Viglevanensis Sacrae Theologiae humilis Professor, ac totius Ordinis Servorum B. M. V. Vicarius Generalis Apostolicus Dilectis vobis in Christo admodum RR. PP. Vicario Generali nostro, Provinciali socio, Definitoribus, Prioribus, ceterisque Patribus, ac Fratribus Provinciae nostrae Germaniae salutem in Domino sempiternam. Cum diu optatum sit a vobis, ut in nostra Provincia Germaniae tam in Conventibus distinguendis, iisdemque bene regendis, quam in superioribus juxta Justitiam distributivam eligendis, ac plerisque aliis tenor aequitatis observetur; ad hunc autem finem consequendum ratio Alternationis optimum medium esse videatur; cumque in variis congressibus, non semel communicatis inter vos Consiliis, tandem ad eandem Alternationem, habito etiam beneplacito Sacrae Caesareae, Regiaeque Catholicae Majestatis, pervenire efficaciter cupiatur, mature praeterea dictis Consiliis examinatis, communicata in super nobis subscriptione a Partibus respective facta, aliisque visis documentis, necnon praecipue Capitulis, seu Conventionibus Alternationis, quae sequuntur.

§. 3. Primo quolibet triennio, quo celebrandum erit Capitulum Provinciale, Provincialis, & Socius assumantur alternative, ita ut dum Provincialis est Austriacus, Socius sit ex Tyrolensibus, & vicissim, idemque circa Provinciale ex Austriacis eligendum observandum erit in

CXCI.

Proceum.

Provincia Germanica hujusce Ordinis diversis constituta Nationibus nonnullas pro unione conservanda sancit alternativae, a Vicario Generali totius Ordinis modum confirmatas.

Tenor Concordiae.

Alternativa Provincialis ejusque Socii.

primo